Reverendissimo Dno Nicolao ab Amsdorf
Episcopo Numburgensi, eruditione et pietate
praestanti suo patrono colendo.

S. D. Reverendissime Domine. Scribit ad Illustrissimum Principem Joannem Guilhelmum Academia, et petit mitti dari collegio aliquantum frumenti. Nam a vicinis nondum emi potest, qui vecturam differunt. Reddet autem Academia post trituram. Quare etiam atque etiam oro, ut authoritate et sententia tua nos istic in aula adiuves. Habuimus oeconomum industrium et fidelem, quem deus ex hac vita evocavit. Nunc adhuc tenetur oeconomia a vidua honesta muliere. Sed adiuvamur a civibus, quos delegimus a Doctore Georgio Maiore, et Doctore Augustino. Multae difficultates nos exercent. Precor ut deus aeternus pater Domini nostri Jesu Christi tueatur vos. Bene et feliciter vale. die 23. Septembris Anno Wittebergae 1546.

Philippus Melanthon.

Reverendissimo in Christo Domino, Domino
Nicolao Episcopo Numburgensi Domino
suo summa reverentia colendo.

S. Etsi non erat quod hoc tempore scriberem, tamen indicandae meae erga te observantiae esse Reverendissime Dne, existimavi officio scribendi voluntatem meam. Declarationem Caesaris contra illustrissimos Principes nostros editam cum legissem, adeo indignatione exarsi, ut correpto calamo, statim eam totam inverterem, et ex sacris literis ostenderem Papam ac Caesarem esse hostes dei et Anathemata. Finxi autem prosopopoeiam et tribui causam Deo ipsi. Dedi ita effusum ex indignatione scriptum legendum domino Philippo, doctori Crucigero, et aliis quibusdam amicis, qui hortati sunt, ut edi curarem. Iam igitur sub praelo est, ubi autem fuerit excusum, mittam vobis exemplar. Totum istud bellum videtur mihi simile esse illi quod rex impius et Idolatra Hieroboam contra pium Abiam gessit. Quare spero omnino fore quoque similem exitum. Etsi etiam nos nostra permerent peccata. Prudenter omnino factum est,

quod translatis militibus in Vienna oppida ex
hac urbe, quae sedes miserrima est, consuluisset
tranquillitati studiorum et Ecclesiae.
Eislebius pessima Vipera est, tam maligne
mecum et rabiosè in nostros principes pro concio-
nibus et in conviviis debacchari scribitur, sed
huiusmodi homines dabunt olim poenas.
Bene vale Reverende Dne et pater observande
22. Septemb: 1546.

E. T.

I. Georg: Maior.

Reverendissimo in Christo domino, Domino
Nicolao Epo Numburgensi domino suo
summa reverentia colendo.

S. Scio te execrari odisse Vicinum nostrum, cuius
erga Principem nostrum consanguineum, et
optime de ipso et parentibus ipsius meritum,
tanta est perfidia, ut ad eam explicandam nulla
vel Demosthenis vel Ciceronis sufficiat elo-
quentia. Nulla iam fides, nulla iustitia,
virtus, pietas, et sanctitas nulla videtur,
praeterque in paucissimis, esse in vestris reliquiae.

Ut vere exclamare possis. O tempora, o mores.
Sed haec extrema sunt tempora. Precemur itaque
patrem Dni nri Jesu Christi, ut nos ab his in-
gentibus malis per adventum filii sui aut liberet
aut illa mitiget, et gratiam et robur nobis conce-
dat, ut patienter ferre possimus.
Misi autem vestrae Excellentiae quatuor exemplaria de-
clarationis adversus Caesarem et papam, quae
spero vestrae Excellentiae esse reddita.
Audio Vicinos graviter indignari propter illud scriptum,
cuius authorem si haberent, haud dubie missuri
essent ipsi Imperatori et Papae discerpendum.
Domino Philippo visum est, ut mitteretur pro
pecunia munus, Ego quod reliquum fuit. 16.
aureos dedi M. Ambrosio, nunc nihil est reliqui.
Mittam autem ad festum Martini aut brevius
rationes, quae de hoc anno adhuc restant. Bene
vale. 15. Octob: 1546.

T. E. Georgius Maior.

A. G. M.